

rum et laudatorum virorum, vel Scripturas canonicas habere debemus, ut non liceat nobis, salva honorificentia quæ illis debetur, aliquid in eorum scripturis improbare atque respicere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habeat, divino auxilio vel ab aliis intellecta vel a nobis. Quid autem magis veritati contrarium potest inveniri, quam hoc, cum ipsa Veritas, de continentia loquens, non unius hominis, sed omnium plane, excepto numero professorum continentiae, dicat: *Qui potest capere capiat?* Isti nescio unde instigati dicant: Qui non potest capere, feriatur anathemate. Quid vero pro hominibus potest fieri stolidius? quid divinæ maledictioni obligatius, quam cum aliqui eorum, vel episcopi scilicet, vel archidiaconi ita præcipientes sint ad libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum, pro pudor! turpissimos amplexus sciant abhorre, casta revera clericorum conjugia dicant fetere, et ab eis non veræ justitiæ compassione, sed falsæ justitiæ dedignatione, non ut servos rogent continere, sed ut servos jubeant abstinere? Ad cuius imperii, ne dicam consilii, persuasionem tam fatuam addunt suggestionem, ut dicant honestius esse occulte implicari, quam aperte in hominum videlicet conscientia cum una ligari. Quod profecto non dicerent, si ex illo vel in illo essent, qui dicit per prophetam: *Vae vobis, Pharisæi, qui omnia propter homines facitis.* Et per Psalmistam: *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Præposteri homines qui nobis prius debent persuadere, ut in conspectu ejus, cujus nuda omnia et aperta sunt conspectui, erubescamus peccatores esse, quam in conspectu hominum homines esse. Licet ergo merito pravitatis nullum mereantur consilium pietatis, nos tamen memores humanitatis divinæ, eis consilium auctoritatis nunquam a pietate vacantis per viscera charitatis ministramus. Dicimus namque: «Ejice primum, hypocrita, trabem de oculo tuo, et tunc prospicies ut educas festucam de oculo fratris tui.» Illud quoque rogatus eos attendere quod Dominus dicit de meretricibus: *Qui sine peccato est vestrum, primus mittat in eam lapidem,* quasi diceret: Si lex jubet, si Moyses jubet, jubeo et ego. Sed competentes ministros eligo legis, et attendite quia adducitis. Attendite, quæso,

A et quod estis, quia si te ipsum, ait Scriptura, perspexeris, nulli unquam detraxeris.

Significatum etiam nobis est de quibusdam eorum quod tanta intumescant apud se elatione, ut gregem Domini pro quo boni pastores animas non dubitent ponere, isti etiam verberibus absque ratione presumant laniare, quorum sævitiam S. Gregorius nimium deplorans, «Quid fiet, inquit, de ovibus, quando pastores lupi sunt?» Sed quis vincitur? nonne qui sævit? quis persecutores judicabit, nisi qui dorsum suum ad flagella pariter ministravit? Quid..... est autem. Audiant..... fructu tantum Ecclesiæ scandalum inducatur, tantum clerus despectum vel ab ipsis episcopis, vel ab eorum infidelibus patiat. Nec enim infideles dicere dubitavimus, de quibus apostolus Paulus dixit ad Timotheum: *Quia in novissimis diebus discedent quidam a fide; attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et eauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere.* Hic autem est, si diligenter inspicitis, totius eorum manipulus zizaniz, totiusque virentis zizaniz, ut dum clerici licita unius uxoris consortia, Pharisæo devicti, quod absit! furore, relinquere cogantur, fornicatores et adulteri, et aliarum pravitarum turpissimi ministri cum ipsis efficiantur, qui hanc in Ecclesiam Dei hæresim, sicut cæci duces cæce machinantur, ut videlicet illud impleatur quod Psalmista eis, utpote eorum præcius erroris, taliter imprecatur: *Obscurentur oculi eorum, ne videant; et: Dorsum eorum semper incurva.* Quia ergo nemo ignorat quod si per tui decreti sententiam tanquam futuram pestilentiam sollicitæ discretionis claritate perspexisses, nunquam quorumlibet pravis suggestionibus consensisses. Debitæ tibi subjectionis fidelitate consulimus, ut vel nunc ad tanti scandali ab Ecclesia propulsionem evigiles, et postquam nostri discretionis disciplinam, Pharisæicam ab Ecclesia extirpes doctrinam, ne scilicet unica Domini..... adulterinis diutius abusa maritis, gentem sanctam, regale sacerdotium per irrecuperabile a sponso suo Christo videlicet avellatur divortium, dum nemo sine castimonia, non tantum in virginali flore, sed etiam in conjugali habitu conjunctione visurus sit Dominum nostrum regnantem per omnia sæcula sæculorum, Amen.

ANNO DOMINI MLXV.

HUGO II

ECCLESIAE NIVERNENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Gallia Christiana, nov. edit., t. XII, p. 655.)

Hugonis vicecomitis Niverpensis et Elisabethæ filius Hugo, germanus autem Hugonis vicecomitis, Leonis et Reginaldi, et patruus Hugonis decani et post episcopi Niverpensis, ex canonico Antissiodorensi episcopus Nivernensis factus anno 1013, Cluniacensibus Auræ Vallis monachis terram S. Cyrici sitam in pago Antissiodorensi dictam Vivenz concessit mense Julio Roberti regis anno 20. Subscripsit litteris Helmoini episcopi Alduensis Flavinico donantis cellam S. Georgii Colchensis anno 30.

Albuino, terram in villa S. Benigni, ut olim Gausbertus decessor, Adelardo largitus est anno xxxii. Herimanni et Natranni antecessorum quoque ad exemplar ecclesiæ suæ abbatiam in honorem S. Troesii confessoris consecratam, et ecclesiam S. Francovei in pago Nervensi cum duobus ibi altaribus, de quorum uno Charta a Rocleno antecessore suo facta fuerat, ut canonici communiter viverent dedit anno ordinationis suæ xi. Duo altaria canonicis concessit mense Decembri Rø

berti regis anno 33. Subscripsit foundationi ecclesie Sancti Dionysii de Vergiaco anno 1032, indict. xv, Henrici regis anno 11. Subscripsit et chartæ Helmuini episcopi Alduensis Corbiniacense Cœnobium Flaviniacensi restituentis anno 1034. Concilio Bituricensi adfuit anno 1040 et subscripsit donationi ab Aymone archiepiscopo factæ monasterio S. Sulpicii. Subscripsit anno 1041 donationi factæ Capitulo ab Itherio. Subscripsit chartæ Hugonis archiepiscopi Moguntini pro canonicis S. Pauli vii Kal. Aprilis 1044. In sequenti Henrici regis 15 præposituram, quam Hugo præpositus perverse gesserat et episcopi in manibus dimiserat, canonicis tribuit qui eide in compensationem ecclesiam S. Troesii dederunt, quod in synodo Vercellensi anni 1050 confirmavit Leo IX. Odiloni Cluniacensi abbati reformandam commisit abbatiam S. Salvatoris anno 1045, viii Idus Novem. Interfuit anno 1047 dedicationi S. Mariæ Santonensis. Adstitit synodis Senonensi et Trecenti an. 1048, subscripsitque diplomati Henrici regis pro cella sancti Aigulfi Pruviniensis unita hoc anno cœnobio S. Petri Trecentis. Concilio Remensi adfuit an. 1049, ubi confessus est a suis parentibus plurimum pecuniæ pro episcopo datum se tamen inscio, eoque adepto nonnulla ecclesiasticæ religioni contraria commisisse.... ideoque officium episcopale velle dimittere potius quam in ejus retentione animam suam pessumdare. Quæ ubi dixit, pastorale pedum ante pedes ipsius apostolici posuit. Ille vero tanti viri flexus devotione... illi per aliud pedum ministerium episcopale reddidit post datum sacramentum quod absque suo consensu pecunia hæc data fuisset. Leonem post concilium secutus Hugo, synodo Romanæ adfuit

an. 1050 et paulo post Vercellensi. Ejus obtentu Henricus rex concessit B. Roberto fundatori Casæ Dei ut istud monasterium abbatia fieret anno 1052. Memoratur in litteris regis ejusdem pro restituendæ S. Victoris abbatia anno 22 regni kalendis Maii. Sacro Philippi regis interfuit x Kal. Junii 1050 eodemque anno concilio Romano, ubi ipsi et aliis episcopis injunctum, ut monachorum Vindocinensium et sancti Albini causam cognoscerent, de qua ejus litteræ in synodo Burdegalensi anni 1068 lectæ fuerant. Litteris quibus Isembardus episcopus Aurelianensis præbendam in ecclesia sua Cluniacensibus circa id tempus largitus est, subscripsit Hugo episcopus Nivernensis, et ecclesie Aurelianensis abbas et canonicus. Ecclesiam sancti Stephani a S. Columbano pro monialibus in suburbio Nivernensi fundatam, tunc vero partim vetustate, partim incendio aliisve necessitatibus eo redactam, ut vix parietes superessent, cujus mediam partem Hugo nepos suus clericus et decanus a Willelmo comite tenebat, canonicis B. Sylvestri papæ Romani regulam tenentibus concessit anno 1063. Hæcque donatio in Concilio Cabilonensi anno 1064 confirmata fuit xvi Kal. Sept. in octavis B. Laurentii, cui adfuit Hugo, et lecta in festo sequenti Nativitatis B. Mariæ in ecclesia S. Stephani. Denique subscripsit Hugo an. 1065, Philippi regis v, vii Kal. Febr., chartæ Gauzberti militis pagi Wartinensis ecclesiam nomine Kadelatam Floriacensibus monachis donantis. Eodem anno Roma rediens, ubi duobus conciliis adfuerat, obiit in via anno episcopatus lvi, et in Parodiana abbatia honorifice sepultus est viii Id. Maii. Memoratur Nonis Maii in Martirologio Antissiodorensi.

EPISTOLA HUGONIS

NIVERNENSIS EPISCOPI

AD BARTHOLOMÆUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM

De cella Credonensi in concilio Romano sub Nicolao papa Vindocinensibus monachis asserta.

(Mansi Concil., t. XIX, col. 901.)

B. Turonensi archiepiscopo, E. Andegavensi episcopo, et comiti GAUFRIDO HUGO Nivernensis episcopus unicuique perpetuæ felicitatis munus.

Preterito anno dum Romæ in sancta synodo essemus, dubitabilis querela ad aures papæ N. venit de quadam ecclesia S. Clementis Credonensis, quam sanctæ Trinitatis Vindocinensis ecclesie fratres et S. Albini monachi invicem proponentibus nobis ostenderunt. Papa vero, pluribus intentus, hoc Metensi episcopo atque Treassinio, necnon et mihi

Nivernensi, et Cenomanensi, atque Aretensi et Liminensi seorsum euntibus indagari jussit, cui supradicta secundum jus concederetur ecclesia. Nos vero ut ab utrisque monachis audivimus, id ipsum papæ retulimus. Ipse vero in plenaria synodo supradictam ecclesiam S. Trinitatis cœnobio vindicavit, quoniam hoc judicavimus quod nemo seum quod tenet ab aliquo potest dimittere ecclesie, nec alicui nisi per comeatum illius a quo descendit. Valet.

ANNO DOMINI MLXV.

BOVO ABBAS S. BERTINI.

NOTITIA HISTORICA,

(Fabric., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, tom. I, pag. 267.)

Bovo, Gallo-Belga, abbas ordinis S. Benedicti monasterii Sithivensis in Morinis circa annum 1060, cujus narratio de inventione et elevatione corporis S. Bertini abbatis, ob Northmannorum metum reconditi, facta an. 1052, edita a Mabillonio Sæc. III Bened., pag. 153.